

cædis factum est instrumentum, hoc vas apparuit insuperabile. Peccavit illa prior, et mortua est: ista mortua est, ne peccaret. Illa tum futilis promissi spe inflata, Dei leges violavit; hæc vitam præsentem contempsit, ne fidem in suum benefactorem ejuraret. Quam igitur deinceps sperare poterunt excusationem viri, si molles sint, et ignavi; quam vero veniam, cum fortiter, ac viriliter se gerant mulieres, cum a deo se generose ad certamina pietatis accingant?

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

**Lectio vij.**

Fuit illi corpus imbecillum, et obnoxius sexus injuriæ; verumtamen omnium horum imbecillitatem adveniens gratia occultavit. Nihil enim est, nihil plane potentius eo, qui magno cum studio Dei timorem habeat in mente defixum, sed quamvis ignes, quamvis ferrum, quamvis bestias, quamvis aliud quidvis minentur hostes, omnia nullo negotio contemnit; quod utique Beata ista etiam fecit.

R. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. **V.** Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. — Mulier. **Gloria Patri.** Mulier.

**Commune Dedicationis Ecclesiae.**

IN I. VESPERIS.

Psalmus cxxvij.**Antiphonae.**

Gloriam tuam Domine * decet sanctitudo, in longitudinem dierum.

Psalmi ut in j. Vesperis de Communi Apostol. [2] et loco ultimi, Ps. Lauda Jerusalem. ut infra.

2. Domus mea, * domus orationis vocabitur.

3. Hæc est domus Domini * firmiter ædificata, bene fundata est supra firmam petram.

4. Bene fundata est * domus Domini supra firmam petram.

5. Lapidis pretiosi * omnes muri tui, et turres Jerusalem gemmis ædificabuntur.

Lauda Jerusalem Dominum: * lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: * benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem: * et adipe frumenti satiavit te.

Qui emittit eloquium suum terræ: * velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nebulam sicut cinerem spargit,

Mittit crystallum suum sicut buccellas: * ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: * flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum

suum Jacob : * justítias, et
judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni
natióni : * et judícia sua
non manifestávit eis.

Añã. Lápides pretiósí
omnes muri tui, et turres
Jerúsalem gemmis ædifi-
cabúntur.

Capitulum. Apoc. xxj.



Idi civitátem san-
ctam Jerúsalem
novam descendén-
tem de cœlo a Deo, pará-
tam sicut sponsam orná-
tam viro suo.

Hymnus.

Cœléstis urbs Jerúsa-
lem,

Beáta pacis visio,
Quæ celsa de vivéntibus
Saxis ad astra tólleris,
Sponsæque ritu cíngeris
Mille Angelórum míllibus.

O sorte nupta próspera,
Dotáta Patris glória,
Respérsa sponsi grátia,
Regína formosíssima,
Christo jugáta Principi,
Cœli corúsca civitas.

Hic margarítis émicant,
Paténtque cunctis óstia :
Virtúte namque prævia
Mortális illuc dúcitur,
Amóre Christi pércitus
Torménta quisquis sústi-
net.

Scalpri salúbris íctibus,
Et tunsióné plúrima,

Fabri políta málleo
Hanc saxa molem cón-
struunt,

Aptisque juncta néxibus
Locántur in fastigio.

Decus Parénti débitum
Sit usquequáque altíssi-
mo,

Natóque Patris único,
Et ínclyto Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória
Ætérna sit per sæcula.
Amen.

V. Hæc est domus Dó-
mini fírmiter ædificáta.

R. Bene fundáta est supra
firmam petram.

Ad Magnif. Añã. Sancti-
ficávit Dóminus * taber-
náculum suum : quia hæc
est domus Dei, in qua in-
vocábitur nomen ejus, de
quo scriptum est : Et erit
nomen meum ibi, dicit
Dóminus.

**In ipso die Dedicationis
Ecclesiae et per Octavam,
et quando varianda est
Oratio ob concursum De-
dicationis alterius Eccle-
siae, Oratio.** Deus, qui in-
visibíliter. **ut infra.** [175]
**In Anniversario Dedicat.
Ecclesiae, et per Octavam.**

Oratio.

Deus, qui nobis per
singulos annos hujus
sancti templi tui conse-
cratiónis réparas diem, et

sacris semper mystériis
repræséntas incólumes :
exáudi preces pópuli tui,
et præsta ; ut quisquis hoc
templum beneficia petitú-
rus ingréditur, cuncta se
impetrásse lætétur. Per
Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Domum Dei de-
cet sanctitúdo : * Sponsum
ejus Christum adorémus
in ea. **Ps. Veníte. 2.**

Hymnus. Cœléstis urbs.
ut in j. Vesperis. [162]

In I. Nocturno.

Añã. Tóllite * portas prin-
cipes vestras, et elevámini
portæ æternáles.

Psalmus cxxij.

Domini est terra, et
plenitúdo ejus : *
orbis terrárum, et
universi qui hábitant in eo.
Quia ipse super mária
fundávit eum : * et super
flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem
Dómini ? * aut quis stabit
in loco sancto ejus ?

Innocens mánibus et
mundo corde, * qui non
accépit in vano ánimam
suam, nec jurávit in dolo
próximo suo.

Hic accípiet benedictió-
nem a Dómino : * et mi-
sericórdiam a Deo salu-
tári suo.

Hæc est generátio quæ-
réntium eum, * quæren-
tium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas prin-
cipes vestras, et elevámini
portæ æternáles : * et in-
troíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex gló-
riæ ? * Dóminus fortis et
potens : Dóminus potens
in prælio.

Attóllite portas prin-
cipes vestras, et elevámini
portæ æternáles : * et in-
troíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex gló-
riæ ? * Dóminus virtútum
ipse est Rex glóriae.

Añã. Tóllite portas prin-
cipes vestras, et elevámini
portæ æternáles.

Añã. Erit mihi * Dómi-
nus in Deum, et lapis iste
vocábitur domus Dei.

Psalmus clv.

Deus noster refúgium,
et virtus : * adjútor
in tribulatióibus, quæ in-
venérunt nos nimis.

Proptérea non timébi-
mus dum turbábitur ter-
ra : * et transferéntur
montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbáte
sunt aquæ eórum : * con-
turbáti sunt montes in
fortitúdone ejus.

Flúminis impetus lætífi-
cat civitátem Dei : * san-

ctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus, in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábít eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt Gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobiscum : * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni :

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiscum : * susceptor noster Deus Jacob.

Añã. Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste vocábitur domus Dei.

Añã. Ædificávit * Móyses altáre Dómino Deo.

Psalmus rlvij.

Magnus Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exsultatíone

univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, civitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscipiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépi-mus Deus misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ : * justítia plena est dextera tua.

Lætétur mons Sion, et exsúltent filiaë Judæ, * propter júdicia tua Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarretís in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Añã. Ædificávit Móyses altáre Dómino Deo.

V. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo. **R.** In longitudínem diérum.

Pater noster. **Absolutio.** Exáudi Dómine. **V.** Jube domne. **Benedictio.** Benedictíone perpétua.

De libro secúndo Paralipómenon.

Lectio j. **Cap. vij.**

CUM compléset Sálomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devorávit holocáusta et víctimas : et majéstas Dómini implévit domum. Nec póterant sacerdótes ingredi templum Dómini, eo quod impléset majéstas Dómini templum Dómini. Sed et omnes filii Israel vidébant descendéntem ignem, et glóriam Dómini super domum : et corruéntes proni in terram super paviméntum stratum lápide, adoravérunt, et laudavérunt Dóminum : Quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus. Rex autem, et omnis pópulus imolábant víctimas coram

Dómino. Mactávit ígitur rex Sálomon hóstias, boum vigínti duo millia, arietum centum vigínti millia : et dedicávit domum Dei rex, et univérsus pópulus.

R. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem : * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus.

V. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et vénient ad eam omnes Gentes. — Et in ore.

Bened. Unigénitus Dei.

Lectio ij.

Sacerdótes autem stabant in officiis suis : et Levitæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum : Quóniam in ætérnum misericórdia ejus, hymnos David canéntes per manus suas : porrosacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúque Israel stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini : obtúlerat enim ibi holocáusta et ádipes pacificórum : quia altáre æneum, quod fécerat, non póterat sustinére holocáusta et sacrificia et ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitétem in témpore

illo septem diébus, et omnis Israel cum eo, ecclesia magna valde, ab intróitu Emath usque ad torrén-tem Ægypti. Fecitque die octávo colléctam, eo quod dedicásset altáre septem diébus, et solemnitétem celebrásset diébus septem.

R. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles : * Et vénient ad eam omnes Gentes, et dicent, Glória tibi Dómine. **V.** Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manipulos suos. — Et vénient.

Bened. Spiritus sancti.

Lectio iij.

Complevitque Sálomon domum Dómini, et domum regis, et ómnia quæ disposúerat in corde suo, ut fáceret in domo Dómini, et in domo sua, et prosperátus est. Appáruit autem ei Dóminus nocte, et ait : Audívi oratióne tuam, et elégi locum istum mihi in domum sacrificii. Si cláusero celum, et plúvia non flúxerit, et mandávero et præcépero locústæ, ut devoret terram, et misero pestilentiam in pópulum meum :

convérsus autem pópulus meus, super quos invocátum est nomen meum, deprecátus me fúerit, et exquísierit fáciem meam, et égerit pœniténtiam a viis suis péssimis : et ego exáudiam de cœlo, et propítius ero peccátis eórum, et sanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, et aures meæ eréctæ ad oratióne ejus qui in loco isto oráverit. Elégi enim, et sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, et permáneant óculi mei, et cor meum ibi cunctis diébus.

R. Benedic Dómine domum istam, quam ædificávi nómini tuo : veniéntium in loco isto, * Exáudi preces in excélsó sóliogloriæ tuæ. **V.** Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum. — Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In II. Nocturno.

Añá. Non est hic áliud, * nisi domus Dei, et porta cœli.

Psalmus lxxiij.

Quam dilécta tabernacula tua Dómine virtutum : * concupiscit, et déficit áni-

ma mea in átria Dómini. Cor meum, et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtutum : * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxiliúm abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictióne dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtutum exáudi oratióne meam : * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster aspice Deus : * et respice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super millia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernaculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et

veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtutum, beátus homo, qui sperat in te.

Añá. Non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Añá. Vidit Jacob scalam, * súmmitas ejus cœlos tangébat, et descendétes Angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est.

Psalmus lxxv.

Fundaménta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernacula Jacob.

Gloriósá dicta sunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babilónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthiópum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátió est in te.

Añã. Vidit Jacob scalam, summitas ejus cœlos tangébat, et descendentes Angelos, et dixit: Vere locus iste sanctus est.

Añã. Eréxit Jacob * lapidem in título, fundens óleum désuper.

Psalmus lxxvij.

Domine Deus salutis meae: * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclína aurem tuam ad prece[m] meam:

Quia repléta est malis ánima mea: * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber,

Sicut vulneráti dormientes in sepúlcris, quorum non es memor ámplius: * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferióri: * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me: * posuerunt me abominatió[n]em sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: * óculi mei languerunt præ inópia.

Clamávi ad te Dómine tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirábilia: * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditión[e]?

Numquid cognoscéntur in ténébris mirábilia tua: * et justítia tua in terra obliuiónis?

Et ego ad te Dómine clamávi: * et mane orátio mea præueniet te.

Ut quid Dómine repélis oratió[n]em meam: * avértis faciém tuam a me?

Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea: * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transierunt iræ tuæ: * et terróres tui conturbaverunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amicum, et próximum: * et notos meos a miséria.

Añã. Eréxit Jacob lapidem in título, fundens óleum désuper.

V. Domus mea. **R.** Domus oratió[n]is vocábitur.

Pater noster. **Absol.** Ipsius pietas. **V.** Jube domne. **Bened.** Deus Pater.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Serm. cclij. de Tempore.

Lectio iv.

Uotiescúmque, fratres caríssimi, altáris vel templi festivitátem cólimus, si fidéliter ac diligénter attendimus, et sancte ac juste vívimus, quidquid in templis manufactis ágitur, totum in nobis spiritali ædificatió[n]e complétur. Non enim mentitus est ille, qui dixit: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: et iterum: Nescitis, quia córpora vestra templum sunt Spíritus sancti, qui in vobis est? Et ideo, fratres caríssimi, quia nullis præcedéntibus méritis per grátiam Dei merúimus fieri templum Dei, quantum pòssumus cum ipsius adjutório laborémus, ne Dóminus noster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis inveniát, quod óculos suæ majestátis offéndat.

R. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. **V.** Qui regis Israel inténde, qui dedúcis velut ovem Joséph, qui sedes super Chérubim. — Dimítte.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v.

SED habitáculum cordis nostri evacuétur vítiis, et virtútibus repleátur: claudátur diabolo, et aperiátur Christo: et ita laborémus, ut nobis bonórum óperum clévis jánuam regni cœlestis aperíre possimus. Sicut enim malis opéribus, quasi quibusdam seris ac véctibus, vitæ nobis jánua cláuditur: ita absque dúbio bonis opéribus aperítur. Et ideo, fratres caríssimi, unusquisque consideret consciéntiam suam, et quando se áliquo crimine vulnerátum esse cognóverit, prius oratió[n]ibus, jejúniis vel eleemósynis stúdeat mundáre consciéntiam suam, et sic Eucharístiam præsumat accípere.

R. O quam metuéndus est locus iste: * Vere non est hic áliud, nisi domus

Dei, et porta cœli. *v.* Hæc est domus Dómini firmiter ædificata, bene fundata est supra firmam petram. — Vere.

Benedictio. Ignem sui amoris.

Tertio vj.

SI enim agnoscens reatum suum, ipse se a divino altari subtraxerit, cito ad indulgentiam divinæ misericordiæ perveniet. Quia sicut, qui se exaltat, humiliabitur; ita e contrario, qui se humiliat, exaltabitur. Qui enim, sicut dixi, agnoscens reatum suum, ipse se humiliter ab altari Ecclesiæ pro emendatione vitæ removere voluerit, ab æterno illo et cœlesti convivio excommunicari penitus non timebit.

x. Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Dómino: * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam. *v.* Cumque evigilasset Jacob de somno, ait. — Vere locus. *Gloria Patri.* Vere.

In III. Nocturno.

Añã. Qui habitat * in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Quando hæc Añã dicitur integra, et illi non additur in fine Allelúia. tunc incipitur idem Psalmus secundo versu. Dicit Dómino.

Psalmus xi.

QUI habitat in adjutorio Altissimi, * in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicit Dómino: Susceptor meus es tu, et refugium meum: * Deus meus sperabo in eum.

Quóniam ipse liberavit me de laqueo venantium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrabit tibi: * et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circúmdabit te veritas ejus: * non timebis a timóre nocturno,

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: * ab incursu, et dæmonio meridiáno.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: * ad te autem non appropinquabit.

Verúmtamen óculis tuis considerabis: * et retributionem peccatorum videbis.

Quóniam tu es Dómine spes mea: * altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: * et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandavit de te: * ut custodiant te in ómnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super áspidem, et basiliscum ambulabis: * et conculcabis leónem et draconem.

Quóniam in me speravit, liberabo eum: * prótegam eum, quóniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: * cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: * et ostendam illi salutare meum.

Añã. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Añã. Templum Dómini * sanctum est, Dei structura est, Dei ædificatio est.

Psalmus xvi.

Cantate Dómino canticum novum: * cantate Dómino omnis terra.

Cantate Dómino, et benedicite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutare ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabilia ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Confessio, et pulchritudo in conspectu ejus: * sanctimónia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Dómino pátriae Géntium, afferte Dómino glóriam et honórem: * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

Tollite hóstias, et introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commovéatur a fácie ejus univêrsa terra: * dicite in Géntibus quia Dóminus regnavit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicabit pópulos in æquitate.

Læténtur cœli, et exsultet terra, commovéatur

mare, et plenitudo ejus : * gaudébunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt omnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit iudicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Añã. Templum Dómini sanctum est, Dei structúra est, Dei ædificatio est.

Añã. Benedicta * glória Dómini, de loco sancto suo, allelúia.

Psalmus cxxviii.

Dominus regnávít, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excelsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor Regis iudicium díligit.

Tu parásti directiónes : * iudicium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdotibus ejus : * et Sá-

muel inter eos, qui ínvo-
cant nomen ejus :

Invocabant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in columna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et præceptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Añã. Benedicta glória Dómini, de loco sancto suo, allelúia.

℟. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta.

℞. Bene fundáta est supra firmam petram.

Pater noster. **Absol.** A vñculis. **℟.** Jube domne.

Bened. Evangélica léctio. Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. xix.

In illo témpore : Ingressus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et reliqua.

Homília sancti Ambrósii
Episcopi.

Lib. 8. in Luc. prope finem.



Achæus statúra pusillus, hoc est, nulla nobilitátis ingénitæ dignitáte sublimis, exíguus méritis sicut pópulus natiónum, audíto Dómini Salvatóris advéntu, quem sui non recéperant, vidére cupiébat. Sed nemo fácte Jesum videt : nemo potest Jesum vidére constitútu in terra. Et quia non Prophétas, non legem habébat, tamquam formæ grátiam naturális, ascéndit in sycómorum, vanitátem scílicet Judæorum vestígio suo próterens, erráta quoque córrigens superioris ætátis : et ideo Jesum in interiórís domus recépit hospítio.

℞. Domus mea, domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus : in ea omnis qui petit, áccipit, et qui quærit, ínvenit : * Et pulsánti aperiétur. **℟.** Péttite, et accipiétis : quærite, et ínveniétis. — Et pulsánti. **Bened.** Divinum auxiliúm.

Lectio viij.

Et bene ascéndit in arborem, ut arbor bona bonos fructus fáceret : ac naturali excisus oleástro,

et contra natúram insértus in bonam olívam, fructum posset legis asserre. Radix enim sancta, etsi rami inútiles : quorum infructuósam glóriam plebs Géntium fide resurrectiónis, quasi quadam córporis elevatióne transcéndit. Zachæus ergo in sycómoro, cæcus in via : quorum álterum Dóminus misera-túrus exspéctat, álterum mansiónis suæ claritáte nobilitat : álterum sanáturus intérogat, apud álterum se non invitátus invitát. Sciébat enim úberem hospítii sui esse mercedem. Sed tamen, etsi nondum vocem invitántis audierat, jam viderat af-féctum.

℞. Lápides pretiósí omnes muri tui : * Et turre Jerúsalem gemmis ædificábúntur. **℟.** Portæ Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo ædificábúntur, et ex lapide pretiósio omnis circúitus muri ejus. — Et turre. **Glória Patri.** Et turre. **Bened.** Ad societátem.

Lectio ix.

Verum ne cæcum illum tamquam fastidiósí páuperum cito reliquísse videámur, et transísse ad dívitem, exspéctémus

eum, quia expectavit et Dominus: interrogemus eum, quia interrogavit et Christus. Nos interrogemus, quia nescimus: ille, quia noverat. Nos interrogemus, ut sciamus unde iste curatus sit: ille interrogavit, ut in uno plures disceremus, unde Dominum videre mereamur. Interrogavit enim, ut crederemus, neminem nisi confitentem posse salvari. Te Deum laudamus. 18.

AD LAUDES,
et per Horas, Añae.

1. Domum tuam Domine * decet sanctitudo, in longitudinem dierum.

Ps. Dominus regnavit. cum reliquis. 19.

2. Domus mea, * domus orationis vocabitur.

3. Haec est domus Domini * firmiter aedificata, bene fundata est supra firmam petram.

4. Bene fundata est * domus Domini supra firmam petram.

5. Lapides pretiosi * omnes muri tui, et tures Jerusalem gemmis aedificabuntur.

Capitulum. Apoc. xxj.

Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de caelo a

Deo, paratam sicut sponsam ornata viro suo.

Hymnus.

Alto ex Olympi vertice Summi Parentis Filius, Ceu monte desectus lapis Terras in imas decedens, Domus supernae, et infimae, Utrumque junxit angulum.

Sed illa sedes Coelitem Semper resultat laudibus, Deumque Trinum et Unicum

Jugi canore praedicat: Illi canentes jungimur Almae Sionis aemuli.

Haec templa, Rex Coelestium,

Imple benigno lumine: Huc o rogatus adveni, Plebisque vota suscipe, Et nostra corda jugiter Perfunde caeli gratia.

Hic impetrent fidelium Voces precisque supplicum

Domus beatae munera, Partisque donis gaudeant: Donec soluti corpore Sedes beatas impleant.

Decus Parenti debitum Sit usquequaque altissimo, Natoque Patris unico, Et inclyto Paraclito,

Cui laus, potestas, gloria Aeterna sit per saecula.

Amen.

¶. Haec est domus Domini firmiter aedificata.

℞. Bene fundata est supra firmam petram.

Ad Bened. Añae Zachaeae * festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere: at ille festinans descendit, et suscepit illum gaudens in domum suam. Hodie huic domui salus a Deo facta est, alleluia.

In ipso die Dedicat. Ecclesiae, et per Octavam, et quando varianda est Oratio ob concursum Dedicationis alterius Ecclesiae.

Oratio.

Deus, qui invisibiliter omnia continens, et tamen pro salute generis humani signa tuae potentiae visibiliter ostendis: templum hoc potentia tuae inhabitationis illustra, et concede; ut omnes, qui huc deprecaturi conveniunt, ex quacumque tribulatione ad te clamaverint, consolationis tuae beneficia consequantur. Per Dominum.

In Annivers. Dedicationis Ecclesiae, et per Octavam.

Oratio.

Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui conse-

crationis reparas diem, et sacris semper mysteriis representas incolumes: exaudi preces populi tui, et praesta; ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse laetetur. Per Dominum.

AD TERTIAM.

Añae. Domus mea. Capit. Vidi civitatem. ut supra. [174]

℞. br. Domum tuam Domine, * Decet sanctitudo. Domum. ¶. In longitudinem dierum. Decet. Gloria Patri. Domum.

¶. Locus iste sanctus est, in quo orat sacerdos. ℞. Pro delictis et peccatis populi.

AD SEXTAM.

Añae. Haec est domus Domini.

Capitulum. Apoc. xxj.

ET audivi vocem mannam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

℞. br. Locus iste sanctus est, * In quo orat sacerdos. Locus. ¶. Pro delictis et peccatis populi.